

103

MAUSOLEUM

REGALE.

Serenissimi ac Potentissimi Poloniae, Suediaeque Regis,

IOANNIS
CASIMIRI.

Illustrissimo Domino, Domino

JOANNI IGNATIO

BONKOWSKI

Pomeraniae Palatino,

Terrarum Prussiae Thesaurario,

Skarszeviensi, Borzechoviensi, &c. &c.

CAPITANEO.

A JOACHIMO AB HIRTEMB. PASTORI
JUNIORE

Studioso Eloquentiae in Collegio Gedanenf. Societatis JESU
Confecratum.

1673.

Typis MONASTERII OLIVENSIS.

MUSEUM

REGALE

Reverend to the Honorable, George, Duke of Devonshire

JOHN

CAPIT

JOHN

JOHN

E. XXIV. 120 + b. 120d

JOHN

JOHN

JOHN

JOHN

Ad
Illustrissimum Pomeraniæ
Palatinum.

P R Æ F A T I O



Am cui alteris, Divum JOAN-
NEM CASIMIRUM, hoc est, uni-
cam Sarmatici Orbis Gemmam, nisi
Supremo Terrarum Prusæ Thesaura-
rio consecrarem? Illustrissime Domi-
ne. Cui tantæ Animæ Exuvias, nisi
Herculi? Cui gravissimas Orbis Po-
loni lacrymas, cui demum ~~Prusæ~~ Se-
renissimum Patrii Coeli sidus, nisi At-
lanti Prusico dedicarem? Erit suus eti-
am apud Te, exuviis honor, metieris ex ruinâ, quem! quan-
tumq; amiserimus: metieris ex umbrâ magnum sidus. Le-
ges in illo Poloniæ cladem, quæ tantam sive elisit, sive terruit
Animam, ut ad Superos evolârit; Effudit Spiritum, ut illam
expiranti Patriæ inspiraret, & in vulnere animam sepeliret.
Docuit suo fato, illud Superos pessimi admiscuisse Optimis, ne
possint esse diuturna.

Complecteris, cā, quā soles manu, Illustrissime Domine,
breves has atrati Luctūs lineas, nec quid sublime Tuum, ma-
ximisq; par subfelliis, possit ingenium, & in Divos Cineres
Amor; sed quid mea ferat tenuitas, æstimabis. Ignosces au-
daci temeritati meæ, eò facilius, quò meliùs nosti, quàm sit
arduam magnorum Judiciis approbari,

Illustrissimæ Dominationi Vestræ
Devinctissimus

& humillimus


Servulus

JOACHIMUS AB HIRTEMB. PASTORI

Studiofus Eloquentiæ Collegii

Gedanensis Societatis JESU.

MAUSO-



MAUSOLEUM
REGALE.
JOANNIS CASIMIRI
Poloniæ Sueciæ
Regis.

TEnè fleam ? quem nec Gemitus Singultibus
unquam ,
Nec Lamenta suo sunt comitata choro.
Obsedit nunquam tristis Tua limina Questus ,
Et Dolor Augustas non stetit ante fores.
Sed Patriæ tutatus Amor , Lechiciq; Senatûs
Robora : Libertas , & sine Fraude
Fides.

Quidquid eras , adamante fuit , cedroq; notandum ,
Et totâ dignum posteritate legi.
Nunquam ventoso tumuit Tua Purpura fastu ,
Ipse Tibi Princeps , ipse Senator eras.

B

Civis

Civis eras cum Cive Tuo : cum Principe, Princeps,
 Omnibus unus eras, omnibus omnis eras.
 Parce mihi Princeps, Regalia parce Sceptra,
 Murice Rex, miti sed Pietate Pater.
 Florebant Lechiæ, Te Mecænate, Marones,
 Vistula Castalio dulcior amne fuis.
 Aurea quando Jura dabas : Hinc Fasq; , Piumq; ;
 Inde Themis dominum cingere visa Latus :
 Hinc, sedit purum fædis sine Cædibus Æquum,
 Hinc niveus nudo pectore Candor erat.
 Hinc Veri Germana fides, hinc conscia Recti
 Assedit Pietas, & benesvadus Amor.
 Hinc Justum, hinc roseâ formosus in Iride Princeps;
 Hinc Animus falli nescius, inde Pudor.
 Hinc nullis Odiis, Opibus stetit obruta Virtus,
 Hinc stabant nullis obvia Jura Dolis.
 Pauperies secura fuit, Te Judice, Princeps.
 Justaq; Te Domino Causa Trophæa tulit.
 Palluit ante Tuam Vitium fatale Bilancem,
 Et Scelus à Lechicis finibus exul erat.
 Flevit avarities rigidis implexa catenis,
 Plorabat Scelerum (compede vincâ) Cohorâ:
 Vivere non licuit Lechis Te Principe, Princeps,
 Aut impune malis, aut sine Laude Bonis.
 Non caruit Lauro meritum, non fulmine Crimen,
 Præmia Virtutem, Pæna secuta Scelus.

Exul

Exul erat suspecta Fides, Astusq; , Doliq; ,
 Nulli Lechiadæ Regia clausa fuit.
 Nunquam à Regali discescit Limine Candor ,
 Nunquam Fraus dominum polluit atra thronum
 Majestas fuerat velut alti Numinis Ara ,
 Omnibus accessus Civibus unus erat.
 Tanta Fides , & tantus Amor , Fiducia tanta
 Crederet ut cuivis Vitam , Animamq; Lecho:
 Et cum tot , tantisq; , unus de Regibus esset ,
 Nil tamen è placito censuit esse suo.
 Libertas Procerum arbitriis constabat , & Arma ;
 Vota Senatorum Vota fuere sua.
 Parva loquor : majora canam. Date pluribus aures:
 Arrigat æquoreas ultima Tethys aquas.
 Ille , & Sacrilegum Lechiâ proscrispsit Arium ,
 Ille , dedit Latîs Armena colla jugis.
 Et Græco-Russi depressit cornua Fastûs ,
 Tolleret ut dominum Martia Roma Caput.
 Non primas Lechiæ temeravit Schisma Curules ,
 Sensit & Herculeas , Hæresis Hydra, manus.
 Ter risit Pietas , Divus ter plausit Olympus ,
 Vistuleæ : ter jo ! ter cecinere Dexæ ,
 Cum raperet Princeps Stygiis de faucibus Aras ,
 Et Superos Laribus redderet ipse suis.
 Arrexit tùm Roma sacris cum Collibus Alpes ,
 Audiit attonitis Baltica Tethys aquis.

Et quater Inferni tremuere Palatia Ditis,
Ter lacerasse suam Visa Medusa comam.
Ac iterum, atque iterum in caedes armasse Gigantes,
Sed timuere Lechi, fulmina saeva, Jovis.
Quis memoret rediviva suis Delubra sepulchris?
Quis repetita sacris aurea Verba Labris?
Frustra tergemino cingis Leche Pergama muro,
Frustra tellurem tanta theatra gravant,
Si squallent Delubra Domi, si templa fatiscunt,
Calituumque alto si viret herba lare.
Huic conjurati veniunt ad Clasica Divi,
Divisum Imperium cum Jove, quisquis habet.

Post tantos ausus! post immortalia facta!
Dic age, qui poteras ô CASIMIRE mori?
Siccine sic dubias versat Libitina Coronas!
Sic vitreo Regum nititur aula pede!
At scieras fera Mors alto de Sangvine Regum;
Atque Jagellonici fideris esse Jubar.
Is Scidit Arctoæ deformia terga Volucris,
Et docuit Lechico vertere terga Solo.
Ille tuos ferro cicuravit, Mosche, Dracones,
Ille tuos fudit Dux Szeremethe globos.
Dicite Vistuleæ spumantia littora Tethys,
Mutavit quoties flumina Vestra Cruor?

Hosti-

Hostilesq; inter quoties hæsisit acervos ?

Volvistis quoties fortia Scuta Virum ?

Hic : ubi Gustavi iterant tentoria Regis ,

Luxuriat Suetico sanguine pingvis humus.

Illud Parrhasii fulmen , terrorq; , Gradiui !

Ivit in obscuras Nocte premente plagas.

Discite Victores pharetram non temnere Mortis ,

Ter centum Fabios una sagitta ferit.

Non metuit fera Mors clypeos. Secura per ignes

Et per tela ruit , nil remorante gradu.

Non galeæ cristatus apex , non hasta Gradiui ,

Non catafracti illam militis ira movet.

In centum cuneos , in mille pericula fati

Irruit , Hectoreos falce metente Duces.

Sternit Alexandros , Darios , sternit Achilles ,

Cum Phrygio Rutulus Laomedonte ruit.

Sic : Tu præcipiti cadis eheu ! Victima ! Fato !

O Deus ! ô Lechici Vita , Salusq; , throni.

Qui modo terribiles radiabant vertice cristæ ,

Qui visa est crebrâ cæde rubere manus.

Occidit ! & se se jam nunc miratur inermem !

Ignorat Vires Regis imago suas.

Exiit ingentem bellatrix Purpura Vultum !

Absconditq; suum gemma superba jubar.

Squallet

Squallet ebur ! maculisq; horret viventibus aurum !
Regius extincto Rege laborat honor.
Nullusq; in tanto spectatur Principe Princeps,
Tam subito Codrus, qui modo Cræsus erat !
Marcet Laurigeris rutilans sub crinibus Ostrum !
Pallida cum Tyrio Murice sceptrâ jacent !
Sic : ubi Phæbeas nos abstulit atra quadrigas,
Avertitq; suam Cynthus ipse facem;
Torus langvescit radiis langventibus orbis.
Et tristes Luctus angulus omnis habet:

Occidis ante diem ! Patriæ spes ultima Cymbæ,
Ingredieris Lethi, non rediturus, iter.
Heu age ! Cymmeriis nunquam Sol conditur umbris:
Quin iterum Hesperiiis ora reducat aquis.
Sub cuius domino genuerunt calce Dracones,
Qui parvâ posuit tanta trophæa manu !
Hic jacet ! angustam tumuli contractus ad umbram;
Ille jacet ! per quem Lechia nostra stetit !
Scilicet incertis vehitur Fortuna quadrigis,
Quo minimè reris vespere, Cræse cadis !
Vidi ego : qui bello nuper posuere trophæa,
In pace Hectoreos occubuisse Duces.
Quosq; triumphali Reges traxere quadrigâ,
Ad plantas iterum procubuisse suas.

Vidi

Vidi : qui mediis nuper risere triumphis ;
Cras falso miseris amne rigasse genas.
Sed , quo me violente Dolor ? quo Saucia Luctus
Corda trahit ? quo me laesa Thalia rapit ?

Vos ego flebilibus , vos invida Fata Camænis
Te prodam lacrymis te , Libitina , meis.
Debueras Lechico plus indulsisse Dynastæ ,
Nec tam præcipiti fila scidisse manu.
In dominum nescit fulmen sævire Tonantem.
Astrorum Regem nulla sagitta ferit.
At tu ausa in Lechiæ fera Mors peccare Monarcham ,
Nec puduit tantum falce ferire Jubar.
O ter crudelis Regum Libitina tyranne !
Nil fronte in tantâ nil tibi frontis inest
Sicne juvat bellare Diis ? Sic numina Regum
Permisces cineri , Mors violenta , suo ?
Confundis Regum titulos , Stivisq; Secures !
Et Scepbris Clavas , & diadema casis !
Atram confundis Tyrio cum Murice Pallam ,
Una vehit Codros , unaq; Cymba Midas.
Num Reges idem nullo discrimine tollis ?
Quod tua quod Noctes frons habet una duas.
O si calcasset folium CASIMIRUS eburnum ,
Arsissentq; suis aurea ferta comis ,

Nunquam

Nunquam Sarmatici Jubar immortale trionis ,
 Isset in Occiduas , axe cadente , plagas .
 Nam quando Lechicas presit sua dextra Secures ,
 Ambiit & dominas gemma superba comas ,
 Quando Sidereis radiabant tempora fertis ,
 Quando dabat populis aurea Jura suis ,
 Non potuit fera Mors folio turbare Dynastam ,
 Stricta nec ausa fuit promere tela manu .
 Sæpius ex humeris pharetram projecit , & Arcum ,
 Mordebatq; trucem Fæda rubigo Stylum ,
 Sæpius increpuit dextram , segnemq; sinistram ,
 Sæpius irato trita sagitta pede .
 Lenta nimis , fædis damnabat fata querelis ,
 Vibrabat stygiis fulmina mille labris .
 Immemor ipsa sui mordebat dentibus ungues ,
 Impatiens , Furiis se dabat una tribus .
 Et jam gliscentes Astus , Fraudemq; , Dolumq; ,
 Jussit adire Lechi Regia tecta Throni ,
 Panderet ut Domini sibi celsa Palatia sceptri ,
 Præveniensq; Dææ turba pararet iter .
 Nam Solam pudit Lechicos calcare penates ,
 Et timuit celfos incommitata Lares .
 Sed non audebant sine felle nocere Dynastæ
 Fraudes , Tartarei callida turba Doli .
 Intereâ Princeps Tyrio cum Murice Regnum
 Exiit , & Lechi Regna valere jubet .

Calcat fiderei radiantia fulgura sceptri,
 Calcat & inuiti gemmea terga throni.
 Aula vale (fatur) valeant Capitolia Lechi,
 Ite procul fasces, pallida Sceptra procul.
Regem non faciunt Fasces, non Sceptra, Thronusq̄,
 Non Regum trabecæ, non Diadema Ducum.
 Non Gaze, tumido quas debeat aggere Ganges,
 Nec quibus auriferi fluctuat unda Tazi,
 Nec quas Arabicus gemmas lacrymatur Hydaspes,
 Quas & Erythrei continet unda maris.
 Non circum phrygio ridentia tecta tapete,
 Nec famulo circum milite septa domus.
 Ambitio quem nulla movet, Rex ille vocandus,
 Ille Dynasta mihi, qui bene vixit, erit.
 Plorabant Aquilæ, plorabant Sceptra, thronusq̄;
 Flevit inornatis mæsta corona comis.
 Lechia flebilibus compleverat atria Lymphis,
 Hirsutis Patrius Vistula flevit aquis.
 Dicitur irriguis complorâsse imbribus æther,
 Avertisse suam Cynthius ipse facem,
 Dicitur in compto gemebunda Polonia crine,
 His lacrymis dominos detinuisse pedes:
 Quò? quò? præcipiti raperis, mea gloria, fato?
 Quo? quo? Sarmatiæ sollicitaris Amor?
 Cur Te, cur urgent peregrini sidera Cæli?
 Nobile Sarmatiæ, Rex Casimire, Jubar.

Vestis , quam Tyrio Phœnicia Sangvine tingit ,
Cui cedit Domino , Te viduata , suo ?
Cui heu ! cui cedent adamantina Verticis astra ?
Cui Lechici venient aurea mala throni ?
Siccine Regalis radiantia fulgura dextræ
Cogis in obscuras , Magne Dynasta , plagas ?
Da spatium tenuemq; moram , da planctibus aures ,
O Deus ! ô Lechiæ mite , Jagello , decus ,
Quid famuli meruere Lechi ? quod subdita tantum
Patrârunt in Te scepra , Thronusq; nefas ?
En sua purpureus submittit colla Senatus ,
En plorat passis obvia turba comis.
En Dryades Nymphæq; gemunt , heu siste Jugales ,
Heu ! ne temne mei funera tanta throni
Quæ Lechicam , CASIMIRE , vides ? manet alea sortem ?
Quantaq; Sangvineis prælia mista Dolis.
Regna quot insidiis ? Fasces , & Regna propinas ?
Quot telis infons Lechia meta datur ?
Sceptri sacra Fames , quos non violenta movebit
Fortunæ lapides , & sine Lege Dolos ?

Talibus oravit : querulo male fordida planctu
Tristi Sauromatum Lechia septa choro.
Ter gemuit ; dixitq; malis mala Nomina Lustris ,
Nympharum famulo collacrymante choro,

Sed

Sed tristes Lechiæ Lacrymas Mora nulla secuta est,
 Et Rex aversâ respuit aure preces.
 Intereâ ad Gallos verso temone triones,
 Ingreditur cœptum, non rediturus, iter.
 Illius in placido Regnat Clementia Vultu,
 Ardet in augustis gratia rara genis,
 Majestas oculis, dominâ Prudentia fronte,
 Regali Niveus Candor in ore sedet.
 Emicat hinc morum dulcedo, hinc suave loquendi
 Pondus, & è roseis Attica suada Labris.
 Hinc dignum imperio sædâ sine nube serenum,
 Hinc sine felle sales, & sine dente Joci,
 Prodroma pullato Rhedam præit aula cothurno,
 Hinc, Lechia in lacrymis naufraga penè suis.
 Hinc Dolor, hinc Gemitus, populi hinc sine lege Querelæ,
 Hinc properat raptis Præfica turba comis.
 Inde cruentatis Regem Libitina sagittis,
 Ponè gradu visa est, insidante sequi,
 Terq; sacro capiti sædam intentâsse pharetram,
 Et quater audaci tela vibrâsse manu.
 Celtica vix tetigit volucris pede Littora Rumor,
 A Lechico ad Gallos axe venire Jubar:
 Obvia profiliit CASIMIRO Gallia Regi,
 Et domino jecit Lilia casta pedi.
 Ut quidquid tantus presfisset calcibus Hospes,
 Id totum subitò Lilia casta forent.

Dicitur augustos illi referâsse penates :
 Dicitur ~~et~~ solito clarior iisse dies ,
 Tellus Elysiis instrâsse tapetibus agros ,
 Floraq; divitias explicuisse suas.
 Obviaq; augustos fertur frenâsse jugales
 Gallia , & hæc roseis verba dedisse labris :
 O Lux Sarmaticæ ! Spes & fidissima gentis !
 O Nostræ præsens ! ô Cynosura ratis !
 Te populi comitatur Amor , Te fida Tuorum
 Pectora , & æterno fœdere juncta salus.
 Quâ Lechici de parte poli ? quibus hospes ab oris ?
 Expectate mihi terq; , quaterq; , venis ?
 Quæ me fors hodie ? quæ me Fortuna beavit ?
 Gallica gemmifero depluit aura Tago.
 Ergo age ! jam Nostris succede penatibus Hospes ,
 Et calca Domino Lilia sparsa pede.
 Tandem Nox stygiis invecta jugalibus , alto
 Præcipitat famulam Sole cadente diem.
 Hic Mors è Lechia Dominum comitata Dynastam ,
 Profilit ; & Regis demetit ense caput.
 Nuper enim septum Lechei Civis Amore
 Mors non ausa fuit falce ferire Caput.

Inclite Rex ! seu te mediis miraris in astris ,
 Sive Deo propior sidera calce premis ,

Seu

Seu libas cum Patre , sacrae convivia Mensæ ,
Seu cudis patriæ gemmea sacclâ tuæ ,
Heu ! liceat propius Nostris accedere Musis ,
Et tua flebilibus dicere Fata Lechis.

Sed quid ego tenui prægrandia molior ausu ?
Audeoq; Aoniâ facta referre tubâ ?
Si mihi , si medio Philomela residat in ore ,
Hæreat in fidibus Bilbilitanus olor ,
Si Cytharam Pater ipse mihi concedat Homerus ,
Pindaricoq; mihi metra lepore fluent ,
Alto fatidicum si spirem pectore Phœbum ,
Si Maro , si eloquium Naso det ipse suum ,
Barbarico poteris substernere Pelion Hæmo , &
Carpathii in pelago ponere colla jugi ,
Vasta prius committam angustis æquora rivis ,
Iliademq; suo nux teget una sinu ;
In tenui defiget acu tentoria Xerxes ,
Annibalisq; uno carmine bella canam :
Quam Te Castaliis , Princeps , æquabo Camænis ,
Et Cymba vastum sollicitabo Mare ,
Nec gemina in geminum si abeant mihi Lumina Pontum ,
Par tanto Domino Lacryma nulla cadet .
Cannensis citius deslerem damna Gradivi ,
Obruerem Lacrymis Pergama tota meis ,

Par gemitus Lechico , par nulla Figura , Dolori.
Et cupit à Lachrymis obrutus esse suis.
Hæc tumulo suprema loquar : date planctibus aures ;
Æterni Cineres , ossaq; digna polo !
Elysiis veteres adolebant floribus Urnas ,
Et plenis manibus Lilia casta dabant.
Hic Violas tulit , ille rosas , hic Cinnama busto ;
Hic de Panchaicis balsama vecta plagis ,
Carpebat pia turba thymum , carpebat Hymettum ,
Frondes Taxe tuas , & Cyparisse tuas.
Vernabant , Hyblæ , viridiq; simillima Pindo ,
Æterna Heroum busta , Pyræq; Ducum :

Augusti Cineres ! non vestro Cinnama Busto ,
Non dabo Pæstanæ florida damna rosæ ;
Gallia , cui Patriis vernant sua Lilia Ceris ,
Inspergit tumulo Lilia casta tuo.

*Ergo Parentales mea Lumina sistite Lymphas.
Flore ille haud poterat Candidiore tegi.*



ELOGI.

ELOGIUM
Regali Inscriptum
MAUSOLEO

Serenissimus JOANNES CASIMIRUS,

Ultimus Jagellonides,

Quia parem non potuerunt dare Fata:

Decesit sine prole,

Ut veriùs Patriæ Pater diceretur.

Aureus Princeps

Tot Fatorum probatus Lydiis:

Diù,

Lycaonii Martis acuebat avaritiam,

Ut frangeret faciliùs.

Didicit ex illo Polonia.

Quot infidiis ! quot hostibus pateat,

Pretiosus Princeps.

Avaro præfertim sæculo.

Spontè deposito Regis Murice,

Toto à se Poloniam divisit orbe,

Ut Patrem Patriæ, etiam extra Patriam

haberemus.

Achilles , è Leonum medullis ,
Hercules , ex Junonis ubere ,
Mithridates , ex paterâ venenatâ ,
JOANNES CASIMIRUS

E profundo Patriæ Vulnere , suxit Immortalitatem.

Auditis Cameneci ruinis obrutus ,
Reliquit Poloniæ argumentum ,
Graviorem fuisse sibi Lechiæ cladem , suo Fato.
Ultrò Superos adiit ,
Pro Poloniâ supplicaturus.
Extrâ Lechiam extinctus ,
Ne vel illius Cineres Patriæ telluri graves essent.

Sive ,
Ne post Fata , ingrato Livori malè oleret ,
In nidulo Mori voluit Liliorum.

Lege , si potes præ lacrymis ,
POLONIA !
Quem Tuus Orbis capere non potuit ,
Tantillum Niverniæ claudit
M A R M O R .

